facit Ælianus lib: 2 de varia historia. Is enim, quantum gloriæ in certaminibus patriæ attulit, tantum ætate iam profecta certare desinens, legibus et institutis consuluit. Ac ut Justiniani verbis vtar, suo æuo inter alios Justitiæ satellites Orator Maximus, et iudiciorum optimus tam Athleta, quam gubernator foelix inuentus fuit. Quod uero ad libellum ipsum attinet, meo modulo et pede me metiens, satis præstasse (quod tamen sine arrogantia dictum esse volo) me confido. Inprimis, figuris iam, consilio clarissimi præceptoris Tuæ Illustriss. C. celeberrimi ac doctissimi Domini D. Pauli Vogeli, additis. Prorsus autem mihi ipsi satisfactum erit, et opportunissimè prodysse tunc putabo, Si Tuæ Illustriss. Excels. Iudicio grauissimo et acerrimo probabitur. Tunc enim ab imperitorum contemtu, et maleuolorum morsibus meum hunc conatum autoritate summa T. Illustriss. E. penitus vindicatum existimarem.

Quod

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id39798717X/11